

rat Dóminus de Adam, in muliere, & adduxit eam ad Adam, ut vidéret quid vocáret eam: * Et vocávit nomen ejus Virágo, quia de viro sumpta est. **Y.** Cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replévit carnem pro ea. Et ædificávit. Glória Patri. Et vocávit.

S A B B A T O.

De libro Génesis.

Lectio j.

Vixit autem Malaléel saxaginta quinque annis, & genuit Jared. Et vixit Malaléel, postquam genuit Jared, octingentis triginta annis: & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Malaléel octingenti nonaginta quinque anni, & mortuus est. Vixitque Jared centum sexaginta duobus annis, & genuit Henoch. Et vixit Jared, postquam genuit Henoch, octingentis annis: & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, & mortuus est. Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis, & genuit Mathusalam.

R. Plantaverat autem Dóminus Deus paradísium voluptatis à principio: * In quo posuit hominem, quem formáverat. **Y.** Produxitque Dóminus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suáve, lignum etiam vitæ in medio paradisi. In quo.

Lectio ij.

Et ambulavit Henoch cum Deo: & vixit, postquam genuit Mathusalam, trecentis annis: & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulavitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus. Vixit quoque Mathusalam centum octoginta septem annis, & genuit Lamech. Et vixit Mathusalam, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis: &

genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Mathusalam nongenti sexaginta novem anni, & mortuus est. **R.** Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: * Vidéte ne fortè sumat de ligno vitæ, & vivat in ætérnum. **Y.** Fecit quoque Dóminus Deus Adæ tunicam pelliceam, & induit eum, & dixit. Vidéte ne fortè.

Lectio iij.

Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium: vocavitque nomen ejus Noë, dicens: Iste consolábitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui male dixit Dóminus. Vixitque Lamech, postquam genuit Noë, quingentis nonaginta quinque annis: & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Lamech, septingenti septuaginta septem anni, & mortuus est.

R. Ubi est Abel frater tuus? dixit Dóminus ad Cain. Nescio Dómine, numquid custos fratris mei sum ego? & dixit ad eum: Quid fecisti? * Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. **Y.** Male dictus eris super terram, que aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Ecce vox Glória Patri. Ecce vox.

S A B B A T O.

ante Sexagesimam.

Ad Vesperas, Capítulum.

2. Cor. 11.

Fratres, Libenter suffértis insipientes: cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis vos in servitute redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.

Hymnus.

Iam sol recedit igneus:
Tu lux perennis Unitas,
Nostris, beata Trinitas,
Infunde amorem cordibus.

Te

Te manè laudum cármine,
Te deprecámur vespere,
Dignéris, ut te supplices
Laudémus inter Cælestes.
Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit júgeter
Sæclum per omne glória. Amen.
Y. Vespertina oratio ascendat ad te Dómine. **R.** Et descendat super nos misericórdia tua.

Ad Magnificat, Antiphona.

Dixit Dóminus ad Noë: Finis universæ carnis venit coram me: fac tibi arcam de lignis lævigatis, ut salvetur universum semen in ea.

Oratio.

Deus, qui cónspicis quia ex nulla nostra actiõne confidimus: concède propitijs; ut contra adversa omnia Doctõris Géntium protectione muniamur. Per Dóminum.

D O M I N I C A

in Sexagesima.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Præoccupémus faciẽm Dómini: * Et in Psalmis jubilémus ei. **Psalmus.** Venite, exultémus. 1.

In primo Versu Psalmi omittitur, Præoccupémus faciẽm ejus, &c. & ejus loco repetitur à Choro Invitatorium.

Hymnus Primo die. i. Antiphonæ, Psalmi & Versiculi Nocturnorum, ut in Psalterio.

In primo Nocturno.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 5. & 6.

Noë verò cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Japheth. Cumque exarpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in

ætérnum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum. Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaque genuerunt, isti sunt portèntes à sæculo viri famosi.

R. Dixit Dóminus ad Noë: Finis universæ carnis venit coram me: replèta est terra iniquitate eorum: * Et ego disperdam eos cum terra: **Y.** Fac tibi arcam de lignis lævigatis, mansiõculas in ea facies. Et ego.

Lectio ij.

Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intẽta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, Delèbo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ, ab homine usque ad animãntia, à reptili usque ad volucres cœli: pœnitet enim me fecisse eos. Noë verò invenit grãtiam coram Dómino.

R. Noë vir justus atque perfectus, cum Deo ambulavit: * Et fecit omnia, quæcumque præcepit ei Deus. **Y.** Fecit sibi arcam, ut salvaretur universum semen. Et fecit.

Lectio iij.

Hæ sunt generatiõnes Noë: Noë vir justus atque perfectus fuit in generatiõibus suis, cum Deo ambulavit. Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Japheth. Corrupta est autem terra coram Deo, & replèta est iniquitate. Cùmque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corrumperat viam suam super terram) dixit ad Noë: Finis universæ carnis venit coram me: replèta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis lævigatis: mansiõculas in arca facies, & bitumine lines

in-

intrinsicè & extrinsicè. Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.

R. Quadraginta dies & noctes aperti sunt caeli, & ex omni carne habente spiritum vitæ ingressa sunt in arcam: • Et clausit a foris ostium Dóminus. **Y.** In articulo diei illius ingressus est Noë in arcam, & filii eius, & uxor illius, & uxores filiorum eius. Et, Glória Patri. Et.

In secundo Nocturno.
Ex libro Sancti Ambrósii Episcopi de Noë & Arca.

Lectio iv. *Cap. 4. circa medium.*

Habes, quia iratus Dóminus est: quoniam quamvis cogitaret, hoc est sciret, quia homo positus in terræ regione, carnem portans, sine peccato esse non possit, (terra enim velut quidam tentationis locus est, caroque corruptelæ illicebra) tamen cum haberent mentem rationis capicem, virtutemque animæ infusam corpori, sine consideratione aliqua in lapsu ruerunt, ex quo revocare se nollent. Neque enim Deus cogitat sicut homines, ut aliqua ei nova succedat sententia, neque irascitur quasi mutabilis: sed ideo hæc leguntur, ut exprimat peccatorum nostrorum acerbitas, quam divinam meruerit offensam: tamquam eousque increverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut irā, aut odio, aut passione ulla, provocatus videatur ad iracundiam.

R. Edificavit Noë altare Dómino, offerens super illum holocaustum: odoratusque est Dóminus odorem suavitatis, & benedixit ei, dicens: • Crescite, & multiplicamini, & replète terram. **Y.** Ecce ego statuum pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos. Crescite.

Lectio v.

Minitatus est prætereā, quod dederet hominem. Ab homine, inquit, usque ad pecus, & à reptilibus usque ad volatilia delebo. Quid læserant irrationabilia? Sed quia propter hominem illa facta erant, eo utique deleto, propter quem facta sunt, consequens erat, ut etiam illa deleterentur, quia non erat qui his uteretur. Sensu autem altiore illud manifestatur: quia homo mens est, quæ est rationis capax. Homo enim definitur, animal vivum, mortale, rationabile. Principali igitur extincto, etiam sensus omnis extinguatur: eo quod nihil reliqui ad salutem superversit, cum salutis fundamentum virtus defecerit.

R. Ponam arcum meum in núbibus caeli, dixit Dóminus ad Noë: • Et recordabor fœderis mei, quod pepigi tecum. **Y.** Cumque obduero núbibus cœlum, apparebit arcus meus in núbibus. Et recordabor.

Lectio vi.

Ad condemnationem autem cæterorum, & ad expressionem pietatis divinæ, dicitur Noë apud Deum grátiam invenisse. Simul ostenditur, quod hominem justum non obumbrat aliorum offensio, quando ipse ad totius generis reservatur seminarium. Qui non generationis nobilitate, sed justitiæ & perfectionis merito laudatur. Probat enim viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familia hominum splendore generis nobilitantur, animarum autem clarificatur grátia splendore virtutis.

R. Per memetipsum juravi, dicit Dóminus, non adiciam ultra aquas diluvi super terram: pacti mei recordabor: • Ut non perdam aquis diluvi omnem carnem. **Y.** Arcum meum

meum ponam in núbibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Ut non. Glória Patri. Ut non.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. *Cap. 8.*

In illo tempore: Cum turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad Jesum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat, seminare semen suum. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

Homilia 15, in Evangelia.

Lectio sancti Evangelii, quam modo, fratres charissimi, audistis, expositione non indiget, sed admonitione. Quam enim per semetipsum Veritas exposuit, hanc discutere humana fragilitas non præsumat. Sed est quod sollicitè in hac ipsa expositione Dominica pensare debeamus: quia si nos vobis semen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, spinas divitiis significare diceremus, ad credendum nobis mens forsitan vestra dubitaret. Unde & idem Dóminus per semetipsum dignatus est exponere quod dicebat, ut sciatis rerum significaciones querere in iis etiam, quæ per semetipsum noluit explanare.

R. Benedixit Deus Noë, & filiis eius, & dixit ad eos: • Crescite, & multiplicamini, & replète terram. **Y.** Ecce ego statuum pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos. Crescite.

Lectio viij.

Exponendo ergo quod dixit, figurate se loqui innouit: quatenus certos nos redderet, cum vobis nostra fragilitas verborum illius figuris aperiret. Quis enim mihi unquam crederet, si spinas divitiis interpretari voluissem? maxime cum illæ pungant, istæ delecent. Et tamen spinæ sunt, quia cogitationum

Pars Hyemalis.

suarum punctiónibus mentem læcunt: & cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Quas bene hoc in loco, alio Evangelista testante, nequamquam Dominus divitiis, sed fallaces divitiis appellat.

R. Ecce ego statuum pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos: • Neque erit deinceps diluivum dissipans terram. **Y.** Arcum meum ponam in núbibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram. Neque.

Lectio ix.

Fallaces enim sunt, quæ nobiscum diu permanere non possunt: fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt. Solæ autem divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus faciunt. Si ergo, fratres charissimi, esse divites cupitis, veras divitiis amate. Si culmen veri honoris queritis, ad cœlestè regnum tendite. Si glóriam dignitatum diligitis, in illa supérna Angelorum curia adscribi festinate. Verba Dómini, quæ aure percipitis, mente retinere. Cibis enim mentis est sermo Dei: & quasi accéptus cibis stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed quisquis aliménta non retinet, hujus profectò vita desperatur.

R. Cum turba plurima convenirent ad Jesum, & de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: • Exiit qui seminat, seminare semensuum. **Y.** Et dum seminat, aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Exiit. Glória Patri. Exiit.

Infra Hebdomadam, Feria quarta & Sabbato loco hujus R. dicitur primum R. Feriæ ij, sequentiæ.

AD LAUDES,

Antiphona.

Secundum magnam misericordiam tuam miserere mei Deus.

X

Psal.

Psalmus. Miserere mei Deus, cum reliquis de Laudibus Dominice Sexagesimae. 208. **Añā.** Si mihi Dominus Salvator fuerit, non timebo quid faciat mihi homo. **Psalm.** Confitemini Domino. 309. **Añā.** In velamento clamavi valde diluculo: Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. **Psalm.** Deus Deus meus. 310. **Añā.** Hymnum dicamus Domino Deo nostro. **Canticum.** Benedicte. 310. **Añā.** In tympano & choro, in chordis & organo laudate Deum. **Psalm.** Laudate Dominum de caelis. 312.

Capitulum. 2. Cor. 11. d

Ratres, Libenter suffertis insipientes: cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis vos in servitutum redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cadit.

Hymnus.

Æterne rerum Conditor,
Noctem diemque qui regis,
Et temporum das tempora,
Ut alveles fastidium.
Nocturna lux viantibus
A nocte noctem segregans,
Præco diæ jam sonat,
Jubarque solis evocat.
Hoc excitatus Lucifer
Solvit polum caligine:
Hoc omnis erronum cohors
Viam nocendi deserit.
Hoc nauta vires colligit,
Pontique mitescunt freta:
Hoc, ipsa petra Ecclesiae
Canente, culpam diluit.
Surgamus ergo strenue,
Gallus jacentes excitat,
Et somnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.
Gallo canente spes redit,
Ægris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revértitur.
Jesu labantes respice,

Et nos videndo corrige:
Si respicis, labes cadunt,
Fletuque culpa solvitur.
Tu lux refugis sensibus,
Mentisque somnum discutit:
Te nostra vox primum sonet,
Et vota solvamus tibi.
Deo Patri sit gloria,
Æjúsque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

Y. Domine refugium factus es nobis.
R. A generatione & progénie.

Ad Benedictus, Antiphona.
Cum turba plúrima convenirent ad Jesum, & de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat, seminare semen suum.

Oratio.

Deus, qui conspicias, quia ex nulla nostra actione confidimus: concede propitius; ut contra adversa omnia Doctoris Gentium protectione muniamur. Per Dominum.

Ad Primam, Antiphona.
Semen cecidit in terram bonam, & attulit fructum in patientia.

Ad Absolutionem Capituli, Lectio brevis. Dominus autem dirigat. 23.

Ad Tertiam, Antiphona. Qui verbum Dei retinent corde perfecto & optimo, fructum afferunt in patientia. **Capitulum.** Fratres, Libenter suffertis, ut supra.

R. br. Inclina cor meum Deus, * In testimonia tua. Inclina cor. **Y.** Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivificame. In testimonia tua. Gloria Patri. Inclina. **Y.** Ego dixi, Domine miserere mei. **R.** Sana animam meam, quia peccavi tibi.

Ad Sextam, Antiphona.
Semen cecidit in terram bonam, & attulit fructum, aliud centesimum, & aliud sexagesimum.

Capitulum.

Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum: ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. **R. breve.** In æternum Domine, * Permanet verbum tuum. In æternum. **Y.** In sæculum sæculi veritas tua. Permanet. Gloria Patri. In æternum. **Y.** Dominus regit me, & nihil mihi deerit. **R.** In loco pascue ibi me collocavit.

Ad Nonam, Antiphona.

Si verè, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate.

Capitulum.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

R. br. Clamavi in toto corde meo, * Exaudi me Domine. Clamavi. **Y.** Justificationes tuas requiram. Exaudi. Gloria Patri. Clamavi. **Y.** Ab occultis meis munda me Domine. **R.** Et ab aliènis parce servo tuo.

Ad Vesperas, Antiphona & Psalmus. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica. 100. **Capitulum.** Fratres, Libenter suffertis. **Hymnus.** Lucis Creator optime. 102. **Y.** Diriga tur Domine oratio mea. **R.** Sicut incensum in conspectu tuo.

Ad Magnificat, Antiphona.

Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, dixit Jesus discipulis suis.

Oratio. Deus, qui conspicias, ut supra. 322.

FERIA SECUNDA.

De libro Genesis.

Lectio I. Cap. 7.

Dixit Dominus ad Noè: Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi justum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis tolles septena & septena, masculum & feminam: de animantibus verò immundis duo & duo, mascu-

lum & feminam. Sed & de volatilibus cæli septena & septena, masculum & feminam: ut salvetur semen super faciem universæ terræ. Adhuc enim, & post dies septem ego pluviam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus: & delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ.

R. In articulo dièi illius ingressus est Noè in arcam, & filii ejus, * Uxor illius, & uxores filiorum ejus. **Y.** Delata sunt universa de terra, remansit autem solus Noè, & qui cum eo erant in arca. Uxor illius.

Lectio II.

Fecit ergo Noè omnia, quæ mandaverat ei Dominus. Cumque transisset septem dies, aquæ diluviu inundaverunt super terram. Anno sexcentesimo vite Noè, mensis secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt: & facta est pluvia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

R. Recordatus Dominus Noè, adduxit spiritum super terram, & imminuit: sunt aquæ: * Et prohibite sunt pluvie de caelis. **Y.** Reversaque sunt aquæ de terra eintes & redeuntis, & cœperunt minui post centum quinquaginta dies. Et.

Lectio III.

In articulo dièi illius ingressus est Noè, & Sem, & Cham, & Japheth filii ejus: uxor illius, & tres uxores filiorum ejus cum eis in arcam: ipsi & omne animal secundum genus suum, universaque juménta in genere suo, & omne quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum. Factumque est diluviu quadraginta diebus super terram: & multiplicatæ sunt aquæ, & elevarunt arcam in sublime a terra.

R. Quadraginta dies & noctes apertum sunt cœli, & ex omni carne habente spiritum vitæ ingressa sunt in arcam: Et clausit à foris ostium Dñus. **V**. In articulo diei illius ingressus est Noë in arcam, & filii ejus, & uxor illius, & uxores filiorum ejus. Et clausit. Glória Patri. Et clausit.

Ad Magnificat, Antiphona.

Si culmen veri honoris queritis, ad illam cœlestem patriam quantocyus properate.

FERIA TERTIA.

De libro Génesis.

Lectio j. *Cap. 8.*

Recordatus autem Deus Noë, cunctorumque animantium, & omnium jumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, & imminuit sunt aquæ. Et clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cœli: & prohibita sunt pluviae de cœlo. Reversaque sunt aquæ de terra euntes & redeuntes: & cœperunt minui post centum quinquaginta dies. Requievitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis super montes Armenia.

R. Edificavit Noë altare Dño, offerens super illud holocaustum: odoratusque est Dñus odorem suavitatis, & benedixit ei, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replète terram. **V**. Ecce ego statuum pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos. Crescite.

Lectio ij.

AT vero aquæ ibant & decrescebant usque ad decimum mensem: decimo enim mense, primâ die mensis, apparuerunt cacumina montium. Cùmque transissent quadraginta dies, apertis Noë fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit corvum: qui egrediebatur, & non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram. Emisit quoque columbam

post eum, ut videret si jam cessasset aquæ super faciem terræ. Quæ cùm non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam.

R. Ponam arcum meum in núbibus cœli, dixit Dñus ad Noë: Et recordabor fœderis mei, quod pepigi tecum. **V**. Cùmque obduxero núbibus cœlum, apparébit arcus meus in núbibus. Et recordabor.

Lectio iij.

Expectatis autem ultra septem diébus aliis, rursùm dimisit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad vespèram, portans ramum olivæ viréntibus fôlis in ore suo. Intelléxit ergo Noë, quod cessasset aquæ super terram. Expectavitque nihilominus septem alios dies: & emisit columbam, quæ non est reversa ultra ad eum. Igitur sexcentésimo primo anno, primo mense, primâ die mensis, imminuit sunt aquæ super terram.

R. Per memetipsam juravi, dicit Dñus, non adjiciam ultra aquas diluviū super terram: pacti mei recordabor. **V**. Ut non perdam aquis diluviū omnem carnem. **V**. Arcum meum ponam in núbibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Ut non perdam. Glória Patri. Ut non perdam.

Ad Magnificat, Antiphona.

Semen est verbum Dei, sator autem Christus: omnis, qui invenit eum, manébit in æternum.

FERIA QUARTA.

De libro Génesis.

Lectio j. *Cap. 8.*

Locutus est autem Deus ad Noë, dicens: Egrédere de arca, tu & uxor tua, filii tui & uxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia, quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus quam in béstiis & universis reptilibus, quæ reptant

su-

super terram, educ tecum, & ingredimini super terram: crescite & multiplicamini super eam. Egrésus est ergo Noë, & filii ejus: uxor illius, & uxores filiorum ejus cum eo. Sed & omnia animantia, jumenta, & reptilia quæ reptant super terram, secundum genus suum, egréssa sunt de arca.

R. Benedixit Deus Noë, & filiis ejus, & dixit ad eos: Crescite, & multiplicamini, & replète terram. **V**. Ecce ego statuum pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos. Crescite.

Lectio ij.

Edificavit autem Noë altare Dño: & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dñus odorem suavitatis, & ait: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: non igitur ultra percütiam omnem animam viventem sicut feci. Cunctis diébus terræ, seméntis & messis, frigus & aestus, aestas & hyems, nox & dies non requiescent.

R. Ecce ego statuum pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos: Neque erit deinceps diluviū dissipans terram. **V**. Arcum meum ponam in núbibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Neque erit.

Lectio iij.

Benedixitque Deus Noë & filiis ejus. Et dixit ad eos: Crescite, & multiplicamini, & replète terram. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum universis quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. Et omne, quod

movetur & vivit, erit vobis in cibum: quasi ólera viréntia tradidi vobis omnia. Excépto, quod carnem cum sanguine non comedétis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri, & fratris ejus requiram animam hominis. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.

R. In articulo diei illius ingressus est Noë in arcam, & filii ejus, & uxor illius, & uxores filiorum ejus. **V**. Deleta sunt universa de terra, remansit autem solus Noë, & qui cum eo erant in arca. Uxor illius, Glória Patri. Uxor illius.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quod autem cecidit in terram bonum, hi sunt qui in corde bono & óptimo fructum afferunt in patientia.

Si prædicte Antiphonæ ad Magnificat, non poterint dici in præcedentibus Feriis, & in sequenti Feria v. occurrat fieri Officium de Feria v. dicatur ultima ex iis prætermissa; alioquin, expletis omnibus, sumantur de Psalterio: quod semper fit, quando propria non habentur.

FERIA QUINTA.

De libro Génesis.

Lectio j. *Cap. 9. b*

Dixitque Deus: Hoc signum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationibus sempiternas: Arcum meum ponam in núbibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Cùmque obduxero núbibus cœlum, apparébit arcus meus in núbibus: & recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima vivente quæ carnem végetat: & non erunt ultra aquæ diluvií ad delendum universam carnem.

R. Dixit Dominus ad Noë: Finis universæ carnis venit coram me: repléta est terra iniquitatibus eorum: **•** Et ego disperdam eos cum terra. **•** Fac tibi arcam de lignis lavigatis, mansiunculas in ea facies. Et ego.

Lectio ij.

Cepitque Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam. Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo. Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nunciavit duobus fratribus suis foras. At verò Sem & Japheth pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui: faciesque eorum aversæ erant, & patris virilia non viderunt.

R. Noë vir justus atque perfectus, cum Deo ambulavit: **•** Et fecit omnia quæcumque præcepit ei Deus. **•** Fecit sibi arcam, ut salvaretur universum semen. Et fecit.

Lectio iij.

Evigilans autem Noë ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem: sit Chanaan servus ejus. Dilatet Deus Japheth, & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus. Vixit autem Noë post diluivum trecentis quinquaginta annis. Et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum: & mortuus est.

R. Quadraginta dies & noctes aperti sunt cæli, & ex omni carne habente spiritum vitæ ingressa sunt in arcam: **•** Et clausit à foris ostium Domini. **•** In articulo diè illius ingressus est Noë in arcam, & filii ejus, & uxor illius, & uxores filiorum ejus. Et clausit. Glória Patri. Et clausit.

FERIA SEXTA.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 10.

Hæ sunt generationes filiorum Noë, Sem, Cham, & Japheth: natiq̄ sunt eis filii post diluivum. Filii Japheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, & Tubal, & Mosoch, & Thiras. Porro filii Gomer: Asenez & Riphath & Thogorma. Filii autem Javan: Ellsa & Tharsis, Cetthim & Dódanim. Ab his divisa sunt insula gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam & familias suas in nationibus suis. Filii autem Cham: Chus, & Mésraim, & Phuth, & Chánaan.

R. Edificavit Noë altare Domino, offerens super illud holocaustum: odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & benedixit ei, dicens: **•** Crescite, & multiplicamini, & replète terram. **•** Ecce ego statuum pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos. Crescite.

Lectio ij. Cap. 11.

Erat autem terra labii unius, & sermonum eorundem. Cumque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennar, & habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cémento: & dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum: & celeberrimum nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.

R. Ponam arcum meum in nubibus cæli, dixit Dominus ad Noë: **•** Et recordabor fœderis mei, quod pepigi tecum. **•** Cumque obdixero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus. Et recordabor.

Lec-

Lectio iij.

Descendit autem Dominus ut vidiret civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam, & dixit: Ecce, unus est populus, & unum labium omnibus: coeperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguasque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare civitatem.

R. Per memetipsum juravi, dicit Dominus, non adiciam ultra aquas diluivii super terram: pacti mei recordabor. **•** Ut non perdam aquis diluivii omnem carnem. **•** Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Ut non perdam. Glória Patri. Ut non perdam.

S A B B A T O.

De libro Génesis.

Lectio j. Cap. 11. b.

Hæ sunt generationes Sem: Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluivum. Vixitque Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios & filias. Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale. Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis & genuit filios & filias. Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber. Vixitque Sale postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis: & genuit filios & filias.

R. Benedixit Deus Noë, & filiis ejus, & dixit ad eos: **•** Crescite, & multiplicamini, & replète terram. **•** Ecce ego statuum pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos. Crescite.

Lectio ij.

Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg. Et vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis: & genuit filios & filias. Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu. Vixitque Phaleg postquam genuit Reu, ducentis novem annis: & genuit filios & filias. Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug. Vixit quoque Reu postquam genuit Sarug, ducentis septem annis: & genuit filios & filias. Vixit verò Sarug triginta annis, & genuit Nachor. Vixitque Sarug postquam genuit Nachor, ducentis annis: & genuit filios & filias.

R. Ecce ego statuum pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos: **•** Neque erit deinceps diluivum dissipans terram. **•** Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Neque erit.

Lectio iij.

Vixit autem Nachor viginti novem annis, & genuit Thare. Vixitque Nachor postquam genuit Thare, centum decem & novem annis: & genuit filios & filias. Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran. Hæ sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porro Aran genuit Lot. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum. Duxerunt autem Abram & Nachor uxores: nomen uxoris Abram, Sara: & nomen uxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melche, & patris Jeschæ. Erat autem Sara sterilis, nec habebat liberos. **R.** In articulo diè illius ingressus est Noë in arcam, & filii ejus, & uxor illius, & uxores filiorum ejus. **•** Deléta sunt universa de terra.

ra, remansit autem solus Noë, & qui cum eo erant in arca. Uxor illius. Glória Patri. Uxor illius.

SABBATO.
ante Quinquagesimam.
Ad Vesperas, Capitulum.

1. Cor. 13.

Fratres, Si linguis hóminum loquar, & Angelórum, charitatem autem non habeam, factus sum velut as sonans, aut cymbalum tintiens.

Hymnus.

Jam sol recedit igneus:
Tu lux perennis Unitas,
Nostris, beata Trinitas,
Infundè amorem cordibus.

Te manè laudum cæmine,
Te deprecámur vespere,
Dignèris, ut te supplices
Laudémus inter Cœlites.

Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória. Amen.

V. Vespertina oratio ascendat ad te Dómine. R. Et descendat super nos misericórdia tua.

Ad Magnificat, Antiphona.

Pater fidei nostræ Abraham sumus,
óbtiluit holocaustum super altare pro filio.

Oratio.

Preces nostras, quæsumus Dómine, clemèter exáudi; atque à peccatórum vinculis absolutos, ab omni nos adversitate custódi. Per Dóminum nostrum.

DOMINICA

in Quinquagesima.

Ad Matutinum, Invitatorium.
Præoccupémus faciém Dómini:
Et in psalmis jubilemus ei. Psalmus. Venite, exultémus. 1.

In primo Versu Psalmi omittitur Præoccupémus faciém ejus, &c. & ejus loco repetitur à Choro Invitatorium.

Hymnus Primodiæ, 2. Antiphona: Psalmi, & Versiculi Nocturnorum ut in Psalterio.

In primo Nocturno.

De libro Génesis.

Lectio I.

Cap. 12.

Dixit autem Dóminus ad Abram: Egrédere de terra tua, & de cognatióne tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrábo tibi. Faciámque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificábo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur univérsæ cognatiónes terræ. Egréssus est itaque Abram sicut præceperat ei Dóminus, & ivit cum eo Lot: septuaginta quinque annórum erat Abram cum egréderetur de Haran. Tulitque Sárai uxórem suam, & Lot filium fratris sui, univérsamque substantiam quam posséderant, & animas quas fécerant in Haran: & egressi sunt ut irent in terram Chánaan. Cúmque venissent in eam, pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convállè illóstem: Chánaeus autem tunc erat in terra.

Locutus est Dóminus ad Abram, dicens: Egrédere de terra tua, & de cognatióne tua, & veni in terram, quam monstrávero tibi: Et faciám te in gentem magnam. Benedicent benedicam tibi, & magnificábo nomen tuum, erisque benedictus. Et.

Lectio II.

Apparuit autem Dóminus Abram, & dixit ei: Sémimi tuo dabo terram hanc. Qui ædificávit ibi altare Dómino, qui apparierat ei. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tendit ibi tabernáculum suum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: ædificávit quoque ibi alt-

altare Dómino, & invocávit nomen ejus. Perrexitque Abram vadens, & ultra progrédiens ad meridiem. Facta est autem fames in terra: descenditque Abram in Ægyptum, ut peregrinárètur ibi: prævaluerat enim fames in terra. Cúmque propè esset ut ingrederètur Ægyptum, dixit Sárai uxori suæ: Novi quòd pulchra sis mulier: & quòd cum viderint te Ægyptii, dicturi sunt: Uxor ipsius est: & interficient me, & te reservábunt. Dic ergo, óbsecro te, quòd soror mea sis: ut benè sit mihi propter te, & vivat ánima mea ob grátiam tui.

Dum staret Abraham ad lilem Mambre, vidit tres viros ascendentes per viam. Tres vidit, & unum adorávit. Ecce Sara uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Isaac. Tres vidit.

Lectio III.

Cum itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem quòd esset pulchra nimis. Et nunciavérunt principes Pharaóni, & laudavérunt eam apud illum: & sublata est mulier in domum Pharaónis. Abram verò benè usi sunt propter illam: fueruntque ei oves & boves & ásini & servi & famulæ, & ásinæ & caméli. Flagellávit autem Dóminus Pharaóem plagis máximis, & domum ejus, propter Sárai uxórem Abram. Vocavitque Pharaó Abram, & dixit ei: Quidnam est hoc quòd fecisti mihi? quare non indicasti quòd uxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sorórem tuam, ut tollerem eam mihi in uxórem? Nunc igitur ecce conjux tua, accipe eam, & vade.

Tentávit Dóminus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, & offer illum ibi in holocaustum super unum montium quem dixerò tibi. Vocátus

quoque à Dómino, respondit, Adsum: & ait ei Dóminus. Tolle. Glória Patri, Tolle.

In secundo Nocturno.

Ex libro Sancti Ambrósii Episcopi de Abraham Patriarcha.

Lectio IV.

Lib. 1. cap. 2.

Magnus planè vir Abraham, & multárum virtutum clarus insignibus, quem votis suis Philosophia non pótuit equare. Dénique minus est quòd illa finxit, quam quòd iste gessit: majórq; ambitióso eloquentiæ mendació simplex veritatis fides. Itaque cujusmodi fuerit in eo viro devótió considerémus. Ea enim virtus órđine prima est, que est fundamentum cæterárum: meritóque hanc ab eo primam exégit Deus, dicens: Exi de terra tua, & de cognatióne tua, & de domo patris tui. Satis fuerat dixisse de terra tua: ibi enim erat exire de cognatióne, exire de paterna domo. Angelus Dómini vocávit Abraham, dicens: Ne exténdas manum tuam super puerum, eò quòd timeas Dóminum. Cúmque exténdisset manum ut immolaret filium, ecce Angelus Dómini de cælo clamávit, dicens. Ne exténdas.

Lectio V.

Ed ideò addidit singula, ut ejus affectum probáret: ne fortè aut imprudentè cæpisse videretur, aut fraus áltera mandatis cælestibus pareretur. Sed sicut coacervanda fuerunt præcepta, ne quid lateret; ita etiám proponenda præmia, ne fortè desperaret. Tentátur ut fortis, incitátur ut fidélis, provocátur ut justus: meritóque exivit, quemadmodum locutus est illi Dóminus. Et exivit cum eo Lot. Hoc autem, quòd pro magno inter septem sapiéntum dicta celebrávit, Sequere Deum, perfécit Abraham factóque sapiéntum dicta prævenit, & secutus Deum, exivit de terra sua.

R.

R. Vocavit Angelus Domini Abraham de celo secundò, dicens: Benedicam tibi: * Et multiplicabo te sicut stellas cœli. * Possidebit semen tuum portas inimicòrum tuòrum, & benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ. Et.

Lectio vi.

Sed quia antè terra ei fuerat àlia, hoc est, régio Chaldæorum, de qua exiit Thare pater Abraham, & in Charran demigravit: & quia secum eduxit nepotem suum, cui dicitur fuerat, Exi de cognatione tua: consideremus, ne forte hoc sit exire de terra sua, de hujus terræ, hoc est, de corporis nostri quadam commoratione egredi, de qua exiit Paulus, qui dixit: Nostra autem conversatio in cœlis est.

R. Deus domini mei Abraham dirige viam meam: * Ut cum salute revertar in domum domini mei.

V. Obsecro Domine, fac misericordiam cum servo tuo. Ut cum. Glória Patri. Ut cum.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

Lectio vij. *Cap. 18. f.*

IN illo tempore: Assumpsit Jesus, duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Jerosólymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Pape.

Hamil. 2. in Evangelia.

R. Redemptor noster, prævidens ex passione sua discipulorum animos perturbandos, eis longè antè & episdem passionis poenam, & resurrectionis suæ glóriam prædixit: ut cum eum morientem, sicut prædictum est, cernerent, etiam resurrectionem non dubitarent. Sed quia carnales adhuc discipuli nullo modo valébant capere verba mys-

térii ventur ad miraculum. Antecoràm oculis cæcus lumen recepit: ut qui cœlestis mysterii verba non caperent, eos ad fidem cœlestia facta solidarent.

R. Veni hodie ad fontem aquæ, & oravi Dominum, dicens: Domine Deus Abraham, tu prosperum fecisti desiderium meum. V. Igitur puella, cui dixerò, Da mihi aquam de hydria tua, ut bibam: & illa dixerit, Bibe Domine: & camelis tuis potum tribuam: ipsa est, quam præparavit Dominus filio domini mei. Domine Deus.

Lectio viij.

Sed miracula Domini & Salvatoris nostri sic accipienda sunt, fratres charissimi, ut & in veritate credantur facta, & tamen per significationem nobis aliquid innuant. Opera quippe ejus & per potentiam aliud ostendunt, & per mysterium aliud loquuntur. Ecce enim; quis juxta historiam cæcus iste fuerit, ignoramus: sed tamen quid per mysterium significet, novimus. Cæcum quippe est genus humanum, quod in parente primo à paradisi gaudiis expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur. Sed tamen per Redemptoris sui præsentiam illuminatur: ut internæ lucis gaudia jam per desiderium videat, atque in via vitæ boni operis gressus ponat.

R. Factus est sermo Domini ad Abram, dicens: * Noli timere Abram: ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. V. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum. Noli timere.

Lectio ix.

Notandum verò est, quòd cum Jesus Jericho appropinquare dicitur, cæcus illuminatur. Jericho quippe luna interpretatur: luna autem in sacro eloquio pro defectu

car-

Hymnus.

Æterne rerum Conditor,
Noctem diemque qui regis,
Et temporas das tempora,
Ut alveles fastidium.
Ut alleves fastidium.
Nocturna lux viantribus
A nocte noctem segregans,
Præco diei jam sonat,
Jubarque solis evocat.
Hoc excitatus Lucifer
Solvit polum caligine:
Hoc omnis errorum cohors
Viam nocendi deserit.
Hoc nauta vires colligit,
Pontique mitescunt freta:
Hoc, ipsa petra Ecclesiæ
Canente, culpam diluit.
Surgamus ergo strenue,
Gallus jacentes excitat,
Et somnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.
Gallo canente spes redit,
Ægris salus refunditur,
Micro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur.

Jesu labantes respice,
Et nos videndo corrige:
Si respicias, labes cadunt,
Fletique culpa solvitur.
Tu lux refugis sensibus,
Mentisque somnum discute:
Te nostra vox primum sonet,
Et vota solvamus tibi.
Deo Patri, sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

V. Domine refugium factus es nobis.

R. A generatione & progénie.

Ad Benedicthum, Antiphona.

Ecce ascendimus Jerosólymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt de Filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & conspuetur: & postquam flagellaverint, occident eum, & tertià die resurget.

Orz-

carnis ponitur: quia dum menstrui momentis decrevit, defectum nostre mortalitatis designat. Dum igitur Conditor noster appropinquat Jericho, cæcus ad lumen redit: quia dum divinitas defectum nostre carnis suscepit, humanum genus lumen, quod amiserat, recepit. Unde enim Deus humana patitur, inde homo ad divina sublevatur. Qui videlicet cæcus rectè & juxta viam sedere, & mendicans esse describitur. Ipsa enim Veritas dicit: Ego sum via.

R. Cæcus sedebat secus viam transiente Domino, & clamavit ad eum: & ait illi Dominus: * Quid vis ut faciam tibi: * Domine ut videam lumen. V. Stans autem Jesus, jussit illum duci ad se, & cum appropinquasset, interrogavit eum, dicens. Quid vis. Glória Patri. Domine.

Infra Hebd. Feria iv. & Sabbato loco hujus Responsorii, dicitur R. primum Feriæ secundæ sequentis.

AD LAUDES.

Antiphona.

SECUNDUM multitudinem miserationum tuarum Domine, dele iniquitatem meam. Psalm. Miserere, cum reliquis de Laudibus Dominicæ Septuagesimæ 308. Ant. Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. Psalmus. Confitemini, 309. Ant. Ad te de luce vigilo Deus, ut videam virtutem tuam. Psalm. Deus Deus meus. 310. Ant. Hymnum dicite, & superexaltate eum in secula. Canticum. Benedicite. 310. Antiphona. Omnes Angeli ejus laudate Dominum de cœlis. Psalm. Laudate Dominum de cœlis. 311.

Capitulum. *2. Cor. 13.*

Fratres, Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.

Oratio.

Preces nostras, quæsumus Dômine, clementer exaudi: atque à peccatorum vinculis absolutos, ab omni nos adversitate custodi. Per Dôminum nostrum.

Ad Primam, Antiphona.

Iter faciëte Jesu, dum appropinquaret Jéricho, cæcus clamabat ad eum, ut lumen recipere mereretur.

Ad Absolutionem Capituli, Lectio brevis. Dôminus autem dirigat. 23.

Ad Tertiam, Antiphona.

Transeunte Dômino, clamabat cæcus ad eum: Miserere mei, Fili David. Capitulum. Fratres, Si linguis. ut supra. 331.

R. br. Inclina cor meum Deus. * In testimonia tua. Inclina. **V.** Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me. In testimonia. Glória Patri. Inclina. **V.** Ego dixi, Dômine miserere mei. **R.** Sana animam meam, quia peccavi tibi.

Ad Sextam, Antiphona.

Et qui præbant, increpabant eum ut taceret: ipse verò multo magis clamabat: Miserere mei, Fili David.

Capitulum.

1. Cor. 13. c

Charitas nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive lingue cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus.

R. br. In ætérnum Dômine, * Permanet verbum tuum. In ætérnum. **V.** In sæculum sæculi veritas tua. Permanet. Glória Patri. In ætérnum. **V.** Dôminus regit me, & nihil mihi deerit. **R.** In loco pascuæ ibi me collocavit.

Ad Nonam, Antiphona.

Cæcus magis ac magis clamabat, ut eum Dôminus illuminaret.

Capitulum.

1. Cor. 13. d

Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria hæc: major autem horum est charitas.

R. brevis. Clamavi in toto corde meo, * Exaudi me Dômine. Clamavi. **V.** Justificationes tuas requiram. Exaudi. Glória Patri. Clamavi. **V.** Ab oculis meis munda me Dômine. **R.** Et ab aliënis parce servo tuo.

Ad Vesperas, Antiphona & Psalmus. Dixit Dôminus, cum reliquis de Dominica. 100. Capitulum. Fratres, Si linguis. 331. Hymnus. Lucis Creator. 120. **V.** Dirigatur Dômine oratio mea. **R.** Sicut incensum in conspectu tuo.

Ad Magnificat, Antiphona.

Stans autem Jesus jussit cæcum adduci ad se, & ait illi: Quid vis ut faciam tibi? Dômine, ut videam. Et Jesus ait illi: Respice, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, & sequèbatur illum, magnificans Deum.

Oratio. Preces nostras, ut supra.

FERIA SECUNDA.

De libro Génesis.

Lectio ij.

Cap. 13.

Ascendit ergo Abram de Ægypto, ipse & uxor ejus, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo ad Australem plagam. Erat autem dives valde in possessione auri & argenti. Reversusque est per iter, quo venerat, à meridie in Bethel usque ad locum ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai, in loco altaris quod fecerat prius: & invocavit ibi nomen Dômini. Sed & Lot qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, & armènta, & tabernacula. Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul: erat quippè substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.

R. Movens Abram tabernaculum suum, venit & habitavit juxta convallè Mambre: * Edificavitque ibi altare Dômino. **V.** Dixit au-

autem Dôminus ad eum: Leva oculos tuos, & vide: omnem terram quam conspicias, tibi dabo, & seminii tuo in sempiternum. Edificavitque.

Lectio ij.

Undè & facta est rixa inter pastores gregum Abram & Lot. Eo autem tempore Chanaanus & Pherezæus habitabant in terra illa. Dixit ergo Abram ad Lot: Ne queso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce univèrsa terra coram te est: recède à me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenèbo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordànem, quæ univèrsa irrigabatur antequam subverteret Dôminus Sodomam & Gomorrhæam, sicut paradisus Dômini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor. Elegitque sibi Lot regionem circa Jordànem, & recessit ab Oriente.

R. Credidit Abram Deo, & reputatum est ei ad justitiam: * Et ideò amicus Dei factus est. **V.** Fuit autem justus coram Dômino, & ambulavit in viis ejus. Et ideò.

Lectio iij.

Divisique sunt alterutrum à fratre suo. Abram habitavit in terra Chanaan: Lot verò moratus est in oppidis, quæ erant circa Jordànem, & habitavit in Sodomis. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Dômino nimis. Dixit Dôminus ad Abram, postquam divisus est ab eo Lot: Leva oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem. Omnem terram, quam conspicias, tibi dabo, & seminii tuo usque in sem-

piternum. Faciamque semen tuum sicut pulverem terre.

R. Tentavit Dôminus Abraham, & dixit ad eum: * Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, & offer illum ibi in holocaustum super unum montium, quem dixerò tibi. **V.** Vocatus quoque à Dômino, respondit, Adsum: & ait ei Dôminus. Tolle. Glória Patri. Tolle.

Ad Magnificat, Antiphona.

Et qui præbant, increpabant eum ut taceret: ipse verò multo magis clamabat: Miserere mei, Fili David.

FERIA TERTIA.

De libro Génesis.

Lectio ij.

Cap. 14. b

Et egressi sunt rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, & rex Séboim, necnon & rex Bale, quæ est Segor: & direxerunt aciem contra eos in valle Sylvèstri: scilicet adversus Chodorlahorem regem Elamitarum, & Thadal regem Gèntium, & Amraphel regem Sennaar, & Arioch regem Ponti: quatuor reges adversus quinque. Vallis autem Sylvèstris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum & Gomorrhæ terga vertérunt, cecideruntque ibi: & qui remanserant, fugerunt ad montem. Tulérunt autem omnem substantiam Sodomorum & Gomorrhæ, & univèrsa quæ ad cibum pertinent, & abierunt: necnon & Lot & substantiam ejus, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.

R. Angelus Dômini vocavit Abraham, dicens: * Ne extendas manum tuam super puerum, eò quod times Dôminum. **V.** Cùmque extendisset manum ut immolaret filium, ecce Angelus Dômini de caelo clamabat, dicens. Ne extendas.

Lectio ij.

ET ecce unus, qui evaserat, nuntiavit Abram Hebræo, qui habitabat in convallè Mambre Amorhæi, fratris Escol, & fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram. Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernáculos suos trecéntos decem & octo: & persecutus est usque Dan. Et divisis sociis, irruit super eos nocte: percussitque eos, & persecutus est eos usque Hoba, quæ est ad levam Damasci. Reduxitque omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque & populum.

R. Vocavit Angelus Dómini Abraham de cælo secundò, dicens: Benedicam tibi: • Et multiplicabo te sicut stellas cæli. **Y.** Possidebit semen tuum portas inimicòrum tuòrum, & benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ. Et multiplicabo.

Lectio iij.

EGrèssus est autem rex Sodomòrum in occursum ejus postquam reversus est à cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis regis. At verò Mo-chisedech rex Salem, præferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelsò, qui creavit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegentur, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.

R. Deus dómini me Abraham dirige viam meam: • Ut cum salute revertar in domum Dómini mei. **Y.** Obsecro Dómine, fac misericórdiam cum servo tuo. Ut cum salute. Glória Patri. Ut cum salute.

Ad Magnificat, Antiphona. Misere mei, Fili David. Quid vis ut faciam tibi? Dómine, ut videam.

FERIA QUARTA
Cinerum.

Si hac die & in Dominicis Quadragesimæ, occurrat Festum Duplex, transfertur in sequentem diem similiter non impeditam, ut dicitur in Rubrica de Translatione Festorum. Aliis diebus Quadragesimæ usque ad majorem Hebdomadam, si occurrat Festum Duplex vel Semiduplex fit de eo cum Commemoratione & ix. Lectione de Homilia Feriæ. De Simplicibus fit tantum Commemoratio.

Per totam Quadragesimam in feriali Officio, Feria ij. dicitur Officium Defunctorum. Feria iv. dicuntur Psalmi Graduales. Feria vj. Septem Psalmi Penitentiales cum Litanis, præterquam in Feriis majoris Hebdomadæ. Quæ omnia habentur in fine Breviarii.

In hac & sequentibus Feris usque ad Vesperas Sabbati, Hymni, Capitula, & alia omnia dicuntur ut in Psalterio per Annum, exceptis Antiphonis ad Benedictus, & Magnificat; & post Laudes, Horas, Vesp. & Completorium dicuntur Preces flexis genibus, ut ibidem in Psalterio.

Hodiè ante Matutinum, in Choro dicuntur Psalmi Graduales, clxxij. Pater noster. Absolutio. A vinculis. Benedictio. Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j. *Cap. 6. b*

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Lib. 2. de Sermone Domini in monte, cap. 12. tom. 4.*

Manifestum est his præceptis omnem nostram intentionem in interiora gaudia dirigere: ne foris querentes mercedem, huic sæculo con-

Lectio iij.

Cum enim ceperint aliquibus tentationibus ea ipsa scilicet illis subtrahi, vel negari, quæ isto velamine vel consecuti sunt, vel cõsequi cupiunt: tunc necesse est ut appareat, utrum lupus in ovina pelle sit, an ovis in sua. Non tamen propere ornatum superfluum debet aspectus hominum mulcere Christianus, quia illum parcum habitum ac necessarium etiam simulatores sapius usurpant, ut incautos decipiant: quia & illæ oves non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contègant.

R. Veni hodiè ad fontem aquæ, & oravi Dóminum, dicens: • Dómine Deus Abraham, tu prósperum fecisti desiderium meum. **Y.** Igitur puella, cui dixerò, Da mihi aquam de hydria tua, ut bibam: & illa dixerit, Bibe Dómine: & camélis tuis potum tribuam: ipsa est, quam præparavit Dóminus filio dómini mei. Dómine Deus. Benedictio. Divinum auxilium.

Lectio ij.

Qui ergo immoderato cultu corporis atque vestitu, vel ceterarum rerum nitore præfulget, facile convincitur rebus ipsis, pompæ sæculi esse sectator, nec quemquam fallit dolosa imagine sanctitatis. Qui autem in professione Christianitatis, inusitato squalore ac sordibus intentos in se oculos hominum facit, cum id voluntate faciat, non necessitate patiatur: ex ceteris ejus operibus potest conjici, utrum hoc contempit superflui cultus, an ambitione aliqua faciat: quia & sub ovina pelle cavendos lupos Dómini præcepit: Sed ex fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos.

R. Factus est sermo Dómini ad Abram, dicens: • Noli timere Abram: ego protector tuus suum, & merces tua magna nimis. **Y.** Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum. Noli timere.

Benedictio. Ad societatem.

Praesta Dómine fidelibus tuis; ut jejuniorum veneranda solennia, & congruâ pietate suscipiant, & securâ devotione percurrant. Per Dóminum nostrum.

Hodiè & duobus sequentibus diebus dicuntur Vesperæ hora consueta: Sabbato verò & deinceps usque ad Pascha, dicuntur ante comestionem tam in Festis quam in Feriis, exceptis Dominicis, in quibus dicuntur hora consueta.

Ad Magnificat, Antiphona. Thesaurizate vobis thesaurus in celo:

lo: ubi nec ærugo, nec tinea demolitur.

Deinde dicuntur Preces. 125.

Oratio.

Inclinantes se, Dómine, majestati tuæ, propitiatus inténde; ut qui divino munere sunt relecti, cælestibus semper nutriantur auxiliis. Per Dominum nostrum.

FERIA QUINTA.
Pater noster. **Absolutio.** Exaudí Dómine. **Benedictio.** Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j. Cap. 8.

In illo tempore: Cum introisset Jesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.
Lib. 2. de Consensu Evangelisti.
cap. 20. tom. 4.

Videamus, utrúm sibi de hoc sermo Centurionis Matthæus Lucasque consentiant. Matthæus enim dicit: Accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Puer meus jacet in domo paralyticus. Cui videtur repugnare quod ait Lucas: Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, & sanaret servum ejus. At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei: Quia dignus est ut hoc illi præstes: diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse edificavit nobis. Jesus autem ibat cum illis: & cum jam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Dómine, noli vexari: non enim dignus sum ut sub tectum meum intres.

R. Dómine, puer meus jacet paralyticus in domo, & male torquetur: * Amen dico tibi, ego veniam, & curabo eum. **V.** Dómine, non sum

dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Amen dico. **Benedictio.** Divinum auxilium.

Lectio ij.

Sic enim hoc ita gestum est, quomodo erit verum quod Matthæus narrat. Accessit ad eum quidam Centurio, cum ipse non accesserit, sed amicos miserit: nisi diligenter advertentes intelligamus Matthæum non omnimodò deseruisse usitatum morem loquendi. Non solum enim dicere solemus, accessisse aliquem etiam antequam perveniat illuc, quod dicitur accessisse. Undè etiam dicimus, parum accessit vel multum accessit eo, quod appetit pervenire: verum etiam ipsam perventionem, cujus adipiscendi causa acceditur, dicimus plerumque factam, etsi eum, ad quem pervenit, non videat ille qui pervenit, cum per alium pervenit ad aliquem, cujus ei favor est necessarius. Quod ita tenuit consuetudo, ut jam etiam vulgo perventores appellentur, qui potentium quorumlibet tamquam inaccessibiles animos, per convenientem personarum interpositionem, ambitionis arte pertingunt.

R. Dum staret Abraham ad silem Mambre, vidit tres viros descendentes per viam: Tres vidit, & unum adoravit. **V.** Ecce Sara uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Isaac. Tres vidit. **Benedictio.** Ad societatem.

Lectio iij.

Non ergo absurdè Matthæus, etiam quod vulgò possit intelligi, per alios facto accessu Centurionis ad Dominum, compendioso dicere voluit, Accessit ad eum Centurio. Verumtamen non negligenter intuenda est etiam sancti Evangelistæ altitudo mysticæ locutionis, secundum quam scriptum est in Psalm:

mo:

mo: Accedite ad eum, & illuminamini. Proinde quia fidem Centurionis, quæ verè accedit ad Jesum, ipse ita laudavit, ut diceret: Non inveni tantam fidem in Israël: ipsum potius accessisse ad Christum dicere voluit presens Evangelista, quam illos, per quos verba sua miserat.

R. Tentavit Dóminus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, & offer illum ibi in holocaustum super unum montium, quem dixerò tibi. **V.** Vocatum quoque à Dómino, respondit, Adsum: & ait ei Dóminus. Tolle. Glória Patri. Tolle.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dómine, puer meus jacet paralyticus in domo, & male torquetur: Amen dico tibi, ego veniam, & curabo eum.

Deinde dicuntur Preces. 49.

Oratio.

Deus, qui culpá offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, avertete. Per Dóminum nostrum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.

Deinde dicuntur Preces. 105.

Oratio.

Parce Dómine, parce populo tuo; ut dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiciat. Per Dóminum.

FERIA SEXTA.

Pater noster. **Absolutio.** Iustus piens. **Benedictio.** Evangélica lectio. Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio j. Cap. 5. g.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, &

Pars Hyemalis.

odio habebis inimicum tuum. Et reliqua.

Homilia S. Hierónymi Presbyteri.
Lib. 2. Comment. in c. 5. & 6. Matth.
EGo autem dico vobis: Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos. Multi præcepta Dei, imbecillitate sua, non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt: & dicunt sufficere virtutibus, non odisse inimicos: ceterum diligere, plus præcipi, quam humana natura patiatur. Sciendum est ergo, Christum non impossibilia præcipere, sed perfectæ. Quæ fecit David in Saul, & in Absalom: Stéphanus quoque martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est: & Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis. Hæc autem Jesus & dicit & fecit, dicens: Pater, ignosce illis: quod enim faciunt, nesciunt.

R. Angelus Dómini vocavit Abraham, dicens: Ne extendas manum tuam super puerum, eo quod timeas Dóminum. **V.** Cumque extendisset manum, ut immolaret filium, ecce Angelus Dómini de caelo clamavit, dicens. Ne extendas. **Benedictio.** Divinum auxilium.

Lectio ij.

Ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est. Si Dei præcepta custodiens, filius quis efficitur Dei: ergo non est naturæ filius, sed arbitrio suo. Cum ergo facis eleemosynam, noli tubá canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagógis & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Qui tubá canit, eleemosynam faciens, hypocrita est. Qui jejunians demolitur faciem suam, & ventris inanitatem monstrat in vultu, & hic hypocrita est. Qui in synagógis & in angulis platearum orat, ut videatur ab hominibus, hypocrita est. **R.** Vocavit Angelus Dómini Abraham

Y

ham

ham de celo secundo, dicens: Benedicam tibi: Et multiplicabo te sicut stellas cœli. **¶** Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ. Et multiplicabo. **Benedictio.** Ad societatem.

Lectio iij.

EX quibus omnibus colligitur, hypocritas esse, qui quodlibet faciunt, ut ab hominibus glorificentur. Mihi videtur & ille, qui dicit fratri suo: Dimitte ut tollam festucam de oculo tuo: nam propter gloriam hoc facere videtur, ut ipse justus esse videatur. Unde dicitur ei à Domino: Hypocrita, effice primum trabem de oculo tuo. Non itaque virtus, sed causa virtutis apud Deum mercèdem habet. Et si à recta via paululum declinaveris, non interest, utrum ad dexteram vadas, an ad sinistram, cum verum iter amiseris.

R. Deus domini mei Abraham dirige viam meam: Ut cum salute revertar in domum domini mei. **¶** Obsecro Domine, fac misericordiam cum servo tuo. Ut cum. Glória Patri. Ut cum.

Ad Benedictus, Antiphona. Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.

Deinde dicuntur Preces. 49.

Oratio.

Inchoata jejunia, quesumus Domine, benigno favore prosequere; ut observantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam sinceris exercere valeamus. Per Dominum.

Hodie post Laudes dicuntur Psalmi Penitentiales. clxxvj.

Ad Magnific. Ant. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum: & clauso ostio ora Patrem tuum.

Deinde dicuntur Preces. 105.

Oratio.

Tuere Domine populum tuum, & ab omnibus peccatis ele-

menter emunda: quia nulla ei nocēbit adversitas, si nulla ei dominetur iniquitas. Per Dominum.

SABBATO.

Pater noster. Absolutio. A vinculis. **Benedictio** Evangelica lectio. **Lectio** sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio j.

In illo tempore: Cum sero esset, erat navis in medio mari, & Jesus solus in terra. Et reliqua. **Homilia** venerabilis Bedæ Presbyteri. **Lib. 2. c. 28. in cap. 6. Marci, tom. 5.**

Labor discipulorum in remigando, & contrarius eis ventus, labores sanctæ Ecclesiæ varios designat: quæ inter undas sæculi adversantur, & immundorum flatus spirituum, ad quietem patriæ celestis, quasi ad fidam litoris stationem, pervenire conatur. Ubi bene dicitur, quia navis erat in medio mari, & ipse solus in terra: quia nunquam Ecclesia tantis Gentilium pressuris non solum afflicta, sed & fœdâta est, ut, si fieri posset, Redemptor ipsius eam prorsus deseruisse ad tempus videretur.

R. Veni hodie ad fontem aquæ, & oravi Dominum dicens: Domine Deus Abraham, tu prosperum fecisti desiderium meum. **¶** Igitur puella, cui dixeris, Da mihi aquam de hydria tua, ut bibam: & illa dixerit: Bibe Domine, & camelis tuis potum tribum, ipsa est, quam præparavit Dominus filio domini mei. Domine Deus. **Benedict.** Divinum auxilium.

Lectio ij.

Undè est illa vox ejus inter undas procellasque tentationum irruentium deprehensa, atque auxilium protectionis illius gemebondo clamore querentis: Ut quid Domine recessisti longè, despicias in opportunitatibus, in tribulatione? Quæ pariter vocem inimici persequentis

ex-

celebremus. Per Dominum nostrum **SABBATO PRIMO**

in Quadragesima.

Ad Vesperas. Capit. 2. Cor. 6. **R.** Fratres, hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te.

Hymnus.

Audi, benigne Conditor, Nostras preces cum fletibus

In hoc sacro jejunio

Fusas quadragenario.

Scrutator alme cordium,

Infirma tu scis virium,

Ad te reversis exhibe

Remissionis gratiam.

Multum quidem peccavimus

Sed parce confitentibus:

Ad nominis laudem tui

Confer medellam languidis.

Concede nostrum cœteri

Corpus per abstinentiam;

Culpæ ut relinquat pabulum

Jejuna corda criminum.

Præsta beata Trinitas,

Concede simplex Unitas;

Ut fructuosa sint tuis

Jejuniorum mœnera. Amen.

¶ Angelus tuus Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Ad Magnific. Ant. Tunc invocabis,

& Dominus exaudiet: clamabis, &

dicit: Ecce adsum.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiâ tuam annuâ Quadragesimali observatione purificas: præsta familiæ tuæ;

ut quod à te obtinere abstinentio nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per Dominum.

DOMINICA PRIMA**in Quadragesima.**

Ad Matutinum, Invitatorium.

Non sit vobis vanum manè surgere ante lucem: Quia promissit Dominus coronam vigilantibus.

Quod dicitur in Dominicis tantum

tum usque ad Dominicam Passionis.
Psalmus. Venite, exultemus. I.

Hymnus.

EX more docti mystico
Servemus hoc jejuniū,
Deno diērum circulo
Ducto quater notissimo.
Lex & prophēta primitus
Hoc prætulērunt, postmodū
Christus sacravit, omnium
Rex, atque factor tēporum.

Utāmur ergo parcīus
Verbis, cibis, & pōtibus,
Somno, jocis, & arcīus
Perstēmus in custōdia.

Vitēmus autem nōxia,
Quæ sūbrunt mentes vagas;
Nullūmque demus cāllidi
Hostis locum tyrānidi.

Flectāmus iram vindicem,
Plorēmus ante Jūdicem,
Clamēmus ore supplicī,
Dicāmus omnes cernui:

Nostris malis offēdimus
Tuam Deus clemēntiam:
Effūde nobis dēsUPER
Remissor indulgēntiam.

Memēnto quod sumus tui,
Licēt cadūci plāsmatis:
Ne des honōrem Nōminis
Tui, precāmur, āleri.

Laxa malum quod fecimus,
Auge bonum quod pōscimus:
Placere quo tandem tibi
Possimus hic, & pēpētim.

Præsta beata Trinitas,
Concede si mplex Unitas;
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum mūnera. Amen.

In primo Nocturno, Antiphona,
Servite Dōmino. *Psalm.* Beatus vir,
cum reliquis de Psalterio, 2.

De Epistola secūda beati Pauli
Apostoli ad Corinthios.

Lectio j. *Cap. 6.*

Adjuvantes autem exhortāmur
ne in vacuū gratiam Dei reci-
piāti. Ait enim: Tēpore accepto

exaudivi te, & in die salutis adjuvi
te. Ecce nunc tēpus acceptabile,
ecce nunc dies salutis. Nēmīni dan-
tes ullam offēnsionem, ut non vitu-
perētur ministērium nostrum: Sed in
ōmnibus exhibeāmus nosmetipsos si-
cut Dei ministros, in multa patiē-
tia, in tribulatiōnibus, in necessita-
tibus, in angūstīs, in plagis, in car-
cēribus, in seditiōnibus, in labōri-
bus, in vigiliis, in jejuniis, in casti-
tate, in scientia, in longanimitate,
in suavitate, in Spiritu sancto, in
charitate non ficta, in verbo veritatis,
& ignobilitatem; per infamiam, &
bonam famam: ut seductōres, &
veraces: sicut qui ignoti, & cōg-
niti: quasi morientes, & ecce vi-
vimus: ut castigati, & non mortifi-
cati: quasi tristes, semper autem gau-
dētes: sicut egētes, multos autem
locupletantes: tamquam nihil la-
bēntes, & omnia possidētes.

R. Ecce nunc tēpus acceptabile,
ecce nunc dies salutis: commendē-
mus nosmetipsos in multa patiētia,
in jejuniis multis. **V.** Per arma justi-
tiae virtutis Dei. **V.** In omnibus ex-
hibeāmus nosmetipsos sicut Dei mi-
nistros, in multa patiētia, in jeju-
niis multis. Per arma.

Lectio ij.

Os nostrum dilatatum est.
Nō angustiamini in nobis: angus-
tiamini autem in visceribus vestris:
eamdem autem habēntes remunerati-
onem, tamquam filiis dico, dilatā-
mini & vos. Nolite jugum ducere cum
infidelibus. Quae enim participatio
justitiae cum iniquitate? Aut quae so-
cietas luci ad tenebras? Quae autem
convēntio Christi ad Bēliā? aut quae
pars fideli cum infideli? Qui autem
consensus templo Dei cum idolis?
Vos enim estis templum Dei vivi, si-
cut

cut dicit Deus: Quoniam inhabitabo
in illis, & inambulabo inter eos, &
ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi
populus.

R. In omnibus exhibeāmus nosmet-
ipsos sicut Dei ministros, in multa
patiētia. **V.** Ut non vituperētur mi-
nistērium nostrum. **V.** Ecce nunc
tēpus acceptabile, ecce nunc dies
salutis: commendēmus nosmetipsos
in multa patiētia. Ut non.

Lectio iij. *Cap. 7.*

R. Eplētus sum consolatione, su-
perabūdo gaudio in omni tribu-
latione nostra. Nam & cum venissemus
in Macedoniam, nullam requiem
habuit caro nostra, sed omnem tribu-
lationem passi sumus: foris pugnae,
intus timores. Sed qui consolatur hu-
miles, consolatus est nos Deus in ad-
ventu Titi. Non solum autem in ad-
ventu ejus, sed etiam in consolatione,
qua consolatus est in vobis, referens
nobis vestrum desiderium, vestrum
fletum, vestram emulationem pro me,
ita ut magis gauderem. Quoniam
etsi contristavi vos in epistola, non
me poenitet: & si poeniteret, videns
quod epistola illa (etsi ad horam)
vos contristavit; nunc gaudeo: non
quia contristati estis, sed quia con-
tristati estis ad poenitentiam.

R. In jejūnio & fletu orābunt sacer-
dotes, dicentes: Parce Dōmine,
parce pōpulo tuo: & ne des haereditatem
tuam in perditionem. **V.** Inter vestibulum
& altare lorābunt sacerdotes, dicentes.
Parce, Glōria Patri. Parce.

In secundo Nocturno, Antiphona.
Bonorum meorum. *Psalmus.* Con-
serva, cum reliquis, 8.

Sermo Sancti Leonis Papae.
Sermone 4. de Quadragesima.

Lectio iv.

Praedicatūrus vobis, dilectissimi,
sacratissimum maximūmque je-
junium, quo aptius utar exōrdio,

quam ut verbis Apostoli, in quo
Christus loquebatur: incipiam, di-
cāmq; quod lectum est: Ecce nunc
tēpus acceptabile, ecce nunc dies
salutis! Quāvis enim nulla sint
tēpora, quae divinis non sint plena
muneribus, & semper nobis ad mi-
sericordiam Dei per ipsius gratiam
praestertur accessus: nunc tamen om-
nium mentes majōri studio ad spiri-
tales profectus movēri, & ampliori
fiducia oportet animari, quando ad
universa pietatis officia, illius nos
dicē, in quo redēpti sumus, recur-
sus invitat: ut excellens super omnia
passionis Dominicæ sacramentum
purificatis & corpōribus & animis
celebrēmus.

R. Emendēmus in melius, quae
ignoranter peccavimus; ne subito
praecupati die mortis, quaramus
spatium poenitentiae, & invenire
non possimus: **V.** Attēde Dōmine,
& miserere, quia peccavimus tibi.
V. Adjuva nos Deus salutāris nos-
ter, & propter honōrem nōminis
tui Dōmine libera nos. Attēde.

Lectio v.

Debebat quidem tantis myste-
riis ita incessabilis devotio, &
continuata reverentia, ut tales per-
maneremus in conspectu Dei, qua-
les nos in ipso Paschali festo dignum
est inveniri. Sed quia haec fortitudo
paucorum est; & dum carnis fragi-
litate austerior observantia relaxa-
tur, dumque per varias actiones vi-
tutis hujus sollicitudo distenditur,
necesse est de mundano pulvere etiam
religiosa corda sordescere: magna
divinae institutionis salubritate pro-
visum est, ut ad reparandam men-
tium puritatem quadraginta nobis
diērum exercitatio mēderetur, in
quibus aliorum tēporum culpas &
pia opera redimerent, & jejūnia casta
decoquerent.

R. Derelinquit impius viam suam,
Y 3 &

& vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserabitur ejus: * Quia benignus & misericors est, & præstabilis super malitia Dominus Deus noster. ¶ Non vult Dominus mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Quia.

Lectio vi.

Ingressuri igitur, dilectissimi, dies mysticos, & purificandis animis atque corporibus sacratiis institutis, præceptis Apostolicis obedire curemus, emundantes nos ab omni inquinamento carnis & spiritus: ut castigatis collocationibus, quæ sunt inter utramque substantiam, animus, quem sub Dei gubernaculis constitutum, corporis sui decet esse rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem: ut nemini dantes ullam offensionem, vituperationibus obloquentium non simus obnoxii. Dignam enim ab infidelibus reprehensione carpeamus, & nostro vitio lingue impiæ in injuriam se religionis armabunt, si jejunantium mores à puritate perfectæ continentiæ discrepant. Non enim in sola abstinencia cibi stat nostri summa jejunii: aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur.

¶ Paradisi portas aperuit nobis jejunii tempus: suscipiamus illud orantes, & deprecantes: * Ut in die resurrectionis cum Domino gloriamur. ¶ In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia. Ut in die. Gloria Patri. Ut in die.

In tertio Nocturno, Antiphona. Non sunt loquela. Psalmus. Cœli enarrant, cum reliquis. 11.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vii.

Cap. 4.

In illo tempore: Ductus est Jesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Et cum jejunasset

quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et reliqua.

Homilia 16. in Evangelia.

Dubitari à quibusdam solet, à quo spiritu sit Jesus ductus in desertum, propter hoc quod subditur: Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem: & rursum: Assumpsit eum in montem excelsum valde. Sed verè & absque ulla questione convenienter accipitur, ut à sancto Spiritu in desertum ductus credatur: ut illic eum suus Spiritus duceret, ubi hunc ad tentandum malignus spiritus inveniret. Sed ecce, cum dicitur Deus homo vel in excelsum montem, vel in sanctam civitatem à diabolo assumptus, mens refugit credere, humane hoc audire aures expavescunt. Qui tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, nisi in illo & alia facta pensamus.

¶ Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: & convertimini ad Dominum Deum vestrum: * Quia benignus & misericors est. ¶ Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserabitur ejus. Quia.

Lectio viii.

Terrè iniquorum omnium caput diabolus est: & hujus capitis membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? an non diaboli membra Judæi persequentes, & milites crucifigentes Christum fuerunt? Quid ergo mirum, si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam à membris illius crucifigi? Non est ergo indignum Redemptori nostro quod tentari voluit, qui venerat occidi. Justum quippe erat, ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceat, sicut mortem nostram venerat suâ morte superare.

R.

R. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: * Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & antelabit faciem tuam justitia tua. ¶ Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despereris. Tunc erumpet.

Lectio ix.

Sed sciendum nobis est, quia tribus modis tentatio agitur: suggestione, delectatione, & consensu. Et nos cum tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur: quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis etiam gerimus, unde certamina toleramus. Deus verò, qui in utero Virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo pro suggestionem potuit, sed ejus mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis diabólica illa tentatio foris, non intus fuit.

¶ Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: * In manibus portabunt te, ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum. ¶ Super aspitem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. In manibus, Gloria Patri. In manibus.

Per Hebdomadam, ejus loco dicitur **R.** Abscondite eleemosynam, ut infra. 349.

AD LAUDES,

Antiphona.

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Psalmus. Miserere cum reliquis de Laudibus Domini: cxx. Septuagesima. 308. Añā. O Domine salvum me fac, ò Domine bene prosperare. Psalmus. Confitemini Domino. 309. Añā. Sic benedicam te in vita mea Domine: & in nomine tuo levabo manus meas. Psalmus. Deus Deus meus. 310.

Antiphona. In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur Domine à te: & sic fiat sacrificium nostrum, ut à te suscipiatur bonum, & placeat tibi Domine Deus. Canticum. Benedicite. 310. Antiphona. Laudate Deum cœli cœlorum, & aquæ omnes. Psalmus. Laudate Dominum de cœlis. 311.

Capitulum.

2. Cor. 6. d.

Ratres, Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te.

Hymnus.

O Sol salutis, intimis Jesu refilge mentibus, Dum nocte pulsa gratior Orbis die renascitur.

Dans tempus acceptabile, Da, lacrymarum rivulis Lavare cordis victimam, Quam læta adurit charitas.

Quo fonte manavit nefas, Fluunt perennes lacrymæ, Si virga poenitentia Cordis rigorem cõterat.

Dies venit, dies tua, In qua resistent omnia: Lætetur & nos in viam Tuâ reducti dextera.

Te prona mundi machina Clemens adoret Trinitas, Et nos novi per gratiam Novum canamus canticum.

Amen.

¶ Angelis suis Deus mandavit de te. **R.** Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ductus est Jesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo: & cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiâ iam tuam annuâ Quadragesimali observatione purificas: presta familiæ tuæ: ut

Y 4

quod